DE CHRISTI DOMINI PASSIONE

D U M

IPSIUS IMAGO

PUBLICE PISIS DEFERRETUR

A Venerabili Societate

SS. SACRAMENTI, SANCTIQUE PII V.

Veſperæ Feriæ ſextæ Majoris Hebdomadæ

C A R M I N A

Illuſtriſſimo Domino Equiti Priori Ordinis D. Stephani

M A R C H I O N I

LUCÆ CASIMIRO
DE ALBIZIS

D I C A T A.

PISIS. ANNO DOMINI MDCCXLI.

Apud Evangeliſtam Pugli, prope Periſtylium Mercatorum. *Superiorum Permiſſu.*

Chriſtus Dominus ad Tribunal Pilati ducitur.

EPIGRAMMA.

NExibus implicitum rigidis, & compede preſſum
Ecce Deum ante hominis Judicis ora trahunt.
Quam fœdam objicient labem, quę crimina carpent,
Quidve ferox vitio vertere turba poteſt?
Anne viros obita toties è morte reductos,
Mutaque mirificis ora ſoluta modis?
Quæ bona in ingratos homines, gentemque malignam
Contulit, hæc vitio vertere Turba poteſt.

A quibus Deus patitur.

ODE.

QUid vincla prodeſt immemori Iſraël
Fregiſſe dempto ſervitii jugo?
Durata Regis quid domaſſe
Corda; deumque necata

Turbaſſe luctu prole? genus nigro
Natum licæo; quo recidit viam
Feciſſe per ſuſpenſa utrinque
In geminos freta prona muros?
Oblita Moſis tam cito ſcyrpea
Scindentis undas incolumis rati;
Ut poſt præeſset dux rigata
In loca lacte, & apum labore?
Fruſtra in draconis longa volumina
Ramus virenti cortice vertitur.
Fruſtra colorat ſtagna pigra
Tabe luem paritura aquarum.
Nataſque ranas vaniloquas vocat,
Quæ purpuratos inficiant thoros
Cæno tenaci; polluantque
Attoniti pateras tyranni.
Neſcire fingis, quem tuba nuntia
Baptiſta denſo prodidit agmini?
Quem ſigna, & parens cadaver,
Orbaque lumina prodidere.
Signant ſoluti debilibus pedes,
Reſponſa reddens ſurdus, & aſpera
Mundata pellis: pernegas hunc?
Ah Solyme, ſolime piorum
Regum vetus, nunc perfidiæ Domus.
Rubro exſcitatus ſi Pharaon mari
Submerſus in quo eſt, cum ſuperbis
Curribus, & ſubita immolatis
Pœna catervis fulmineo Jovi
Sui ſederet vindicis arbiter;
Haud ille certaret tam iniquo
Corde, memor veteris doloris.
Ille ut furentis verbera dexteræ,
Durumque vulnus ſenſerit ictuum

Per-

Percuſſus incude acrius, quam
In numerum juvenes recudunt.
Ut te columna duxerit ignea
Per luſtra belvis cognita ſoſpitem,
Et rore pavit lucis auctor
Cæſareis potiore cœnis.
Solvi Barabbam nunc tamen expetis?
Patri parari mortiferam trabem?
Nec ſi Sabæi muſſitarent,
Sarmatiæque genus remotæ
Aut Dacus aſper, ſeu gelidus Scytha
Credo doleret lenius. At .... ſonus
Fauces reliquit fruſtra hyantes
In crepitu medio: recedens
Nam muſa torvo lumine protinus
Te punge dixit, quæ probra in Abraham
Rumpis nepotes; nec merentem
Ore minus populum laceſſe.

Quando patitur.

E L E G I A.

Lictores celerent; & ducens vincla ſatelles
Adſit cum picea Turba miniſtra face.
Nox tacitos ducit currus; nox omnia condens,
Impia nam quærunt facta latere, teget.
Quid tamen inſtructi telis, denſique venitis?
Audaces poterit nil prohibere manus.
Stringendus noto ſupplex Deus orat in Horto;
Diſtracti ſocii membra quiete levant.

Hæc

Hæc tenebræ veſtro permiſſa eſt hora furori,
Quæſitus veniet (nil opus enſe) reus.
Conſilio gens capta hominum, quæ ſtuppea lora
Artificem mundi poſſe tenere putas?
Qui terræmotu fundatas ſuccutit Urbes
Horriſono tonitru, qui ſua tecta quatit;
Qui vulſis transfert montes radicibus; illum,
Ni velit, adſtrictum compede turba vehes?
Quem vinctum rapias, veſtros timor ante ligabit
Artus; aut rigeat ſaxea facta cutis.
Aut data cum fuerint cingentia vincula collo,
Liquerit & ſtringi poſt ſua terga manus;
Quamtumvis validus miles non ducere poſsit,
Aut nodis ſubito factaque lora cadent.
Aſt, agite, afferri cæſus ipſe; Parentis
Hinc amor, hinc hominum pellit agenda ſalus.
Hoc quoque, quod velit arbitrio ſe tradere veſtro,
Expreſſo venis ſanguine tinxit humum.
Ut vellet, ſupplex projectus corpora, noctis
Tergeminas horas contudit aſtra prece.
Hinc mæror tacitus perfudit pectora felle,
Triſtitia hinc latos arcta ſinus tenuit.
Hinc mentis, ſenſuſque adigens præcordia luctus,
Hinc ivit gelidos dura per oſſa tremor;
Corporis hinc virtus conſulta in prælia; hiulcis
Manavit ſudans artubus inde cruor.
O cruor, o magni ſuperans contentio amoris,
Quæ nunc ardentes dextra domabit equos!
Currite Carnifices; obſtabat ſola voluntas;
Ne reprimat, domita hæc ſanguinis imbre fuit.

In illa verba: Terra mota eſt.

EPIGRAMMA.

ESſe quid hoc dicam, magno quod terra fragore
Inſonat, & crebro fulgurat igne polus?
Fulmina concutiunt celſas a vertice Turres,
Pallidaque inſolitis motibus antra fremunt.
Mortales horrent, gelidus formidine ſanguis
Deſinit exiles ire redire vias;
Forſitan extremas tangentia nubila partes
Alterius præceps nubis in ima cadit?
Quare compreſſus vim fortiter exerit aer
Particulis una ſulphuris, atque nitri.
Forſitan incluſus terræ per viſcera ventus,
Seu rapidus fluvius, ſive lacuna gravis?
Vel potius nitrum, ſulphur, fædumque bitumen
Accenſum motu talia damna parit?
Ergo quid? aut patitur naturæ providus auctor,
Aut certe mundi machina tota ruit.

G. M. S. L.

Special 90-B
38749

THE GETTY CENTER
LIBRARY